



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 216. Quid sit circa infantes, qui mortui reperiuntur cum patre & matre cubantes in eodem lecto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

vel etiam affinis, puta, fratris, sororis, patruelis, patru, avunculi, amita, consobrini, generi, socii, uxoris, mariti, pro ut hi enumerantur *cit. L. 1. ff. ad Leg. Pompejam de parricid.* item Sponsa & Sponsus, *L. 3. ff. ad Leg. Pomp. Gl. ibid. v. in pari.* Farin. *l. c. n. 132.* Pirh. *l. c.* Reiffent. *h. t. num. 4.* Item Patroni vel Patrona. *cit. L. 1. & ibid. Gl. v. Patronum.* Farin. *num. 113.* Pirh. *l. c.* Item extenditur nomen & pœna parricidii, ad eos, quorum mandato commissum. Farin. *num. 136.* item cujus dolo id factum. *cit. L. 1.* Item qui ad illud consilium & auxilium prœstitit, omnesque confecti & participes hujus criminis. Host. *in sum. h. t. n. 1.* Farin. *num. 139.*

Quæst. 215. Quenam Pœna parricidii?

1. Resp. Primò: Pœna Parricidii propriè talis, nimirum eorum, qui parentem vel prolem, avum vel aviam (vel etiam, ut extendit *Gl. in L. penult. ff. ad Leg. Pomp. v. G. aviam.* personas ascendentes & descendentes lineæ rectæ) occiderunt, jure Civili scilicet, *cit. Leg. penult. L. unica. c. de his, qui parent. v. fil. occid.* & expressa §. 6. *Instit. de publ. jud.* erat ut euleo, id est, Sacco coriario vivi unâ cum cane, gallo gallinaceo, vipera & Simia infusi in mare vel flumen vicinum conjicerentur. Verùm ob periculum desperationis sublata hodie dum crudeli hac pœnâ (exceptâ Hispaniâ, in qua teste Gomez. *L. 3. var. resol. c. 3. n. 4.* adhuc vigere dicitur) eidem successit juxta *constit. crim. Caroli V. a. 131.* pœna, ut mater (idem est de aliis similibus Parricidis, v. g. patre, ut Reiffent. *h. t. num. 6.*) viva in terram defoderetur, perque ejus corpus stipes seu palus transfigeretur, aut ad evitandam desperationem aquis suffocaretur. Verùm & hæc pœna usu & consuetudine sublata, pœna aliâ præter ultimum supplicium pro diversitate circumstantiarum arbitrio Judicis, consuetudine locorum, vel legum municipalium exasperandæ vel mitigandæ sunt subrogatæ. Sic alicubi ad caudam equi alligati trahuntur, rotæ affiguntur confractis etiam per totum corpus eorundem membris, de quibus vid. *Clar. l. c. n. 5.* Farin. *cit. q. 120. f. 1. n. 12.* quod idem etiam in Parricidio impropiè tali servatur, dum circumstantiæ atrociores sic exigunt, v. g. ut prius forcipibus candentibus aduratur, qui conjugem aut consanguineum proximiorum occidit, dum aliâ simplici homicidio simplex & ordinarium supplicium statuitur.

2. Resp. Secundò: Jure Canonico, quo nulla pœna corporalis parricidii statuitur, ii qui parentes occidunt, per annum Ecclesiam ingredi non debent, nec per tres annos Sacramenta percipere, nec carnes comedere, nec vinum bibere, & singulis Hebdomadis ter jejunare, per pedes itinera conficere, aliâque præstare, & ab aliis abstinere debent. per *C. laborem. 33. q. 2. & c. 1. h. t.* cujus textum per extensum inducit Reiffent. *num. 8.* Verùm constitutiones illæ solum locum habebant in foro animæ seu interno conscientia, ut satisfaceret Deo, non verò in foro contentioso seu externo, ut Abb. *in cit. c. laborem. num. 30.* Sed neque modò amplius sunt in usu. Unde Judex Ecclesiasticus parricidam Laicum jurisdictioni suæ temporali subiectum illicò remittere debet Judici Sæculari ab eo pœnis legum civilium puniendum, Clericum verò prius depositum & degradatum, nullâ expectatâ corrigibilitate, Curia seu Magistratu Sæculari tradere. Farin. *cit. q. 120. n. 21.* Pirh. *h. t. num. 5.*

Quæst. 216. Quid sit circa infantes, qui

mortui reperiuntur, cum patre & matre cubantes in eodem lecto?

Resp. imprimis de Jure Canonico juxta, *c. consuluisti. 2. q. 5.* monendi & protestandi sunt parentes, ne tenellos infantes secum in eodem lecto collocent, ne qualibet negligentia proveniente suffocentur aut opprimantur, unde ipsi rei homicidii inveniantur, dein si mortui reperiuntur, & aliquis parentum ex istiusmodi simul cubatione culpabiliter reus probetur, aut talem se fateatur, utique pœnâ Homicidarum puniendus, cum, ut dicitur *cit. c. consuluisti.* si ille, qui conceptum in utero per abortum deleverit, homicida est, quanto magis, qui unius saltem diei puerulum peremerit, Homicidam se esse excusare nequibit. Si autem nesciat, cujus culpâ, matris vel patris, mors infantis contigerit, citra tamen utriusque intentionem, sine pœna tamen esse non debent, sed trium annorum, quorum unus in pane & aqua transigendus, pœnitentiâ illis imponenda, juxta *c. ult. h. t.* eo quòd, etsi mortem infantis non intenderint aut præviderint, mortis tamen periculo illum exposuerint, contra prohibitionem & monitionem collocando illum secum in eodem lecto, verùm hanc etiam pœnitentiâ non amplius in usu esse, sed pœnitentiâ etiam arbitrio Judicis vel discreti Sacerdotis (intellige Confessarii) injungendam testantur & tenent Abb. *in c. fin. h. t. in fine.* Decian. *pr. Crim. L. 9. c. 8. num. 20.* Menoch. *de Arb. L. 2. q. 356. num. 61.* Pirh. *h. t. num. 8.* si etiam talis recubatio & exinde secuta oppressio infantis caret omni culpâ, ut contingere potest, juxta Barbos. *in c. fin. h. t. num. 2.* quem refert Reiffent. *h. t. n. 11.* si lectus latus est, & puer implacabilis, aut fortè à frigore defendi nequit, &c. cessat omnis pœna.

Quæst. 217. Quæ specialiter statuta pœnæ procurantibus abortum?

1. Resp. Primò: Mater procurans abortum factus animati, eumque vel in utero necat, vel vivum expellens perimit, verùm parricidium committit, pœnarumque jure civili parricidis statutarum est rea, *L. Cicero. ff. de pœnit.* Constit. Caroli V. *q. 133.* ubi specialiter ei pœna capitalis irrogatur, si verò factus nondum animatus fuit, Jure Civili non infligitur pœna ultimi supplicii, sed arbitraria Judicis, v. g. exilii, fustigationis. Menoch. *de arb. cas. 357.* Clar. *§. 5. q. 68. n. 2.* Arg. *L. mulierem ff. ad Leg. Cornel. & cit. L. Cicero. & cit.* Constituit. Carolina.

2. Resp. Secundò: Jure Ecclesiastico gravissimæ pœnæ statuta contra quoscunque, sive directè, sive indirectè procurantes abortum, præcipuè per Constit. Sixti V. *ad effrenatam.* dicti Pontificis 87. quam, quia digna lectu, per extensum hic inducit Reiffent. *à num. 16.* eandemque, etsi moderaverit Gregor. XIV. in sua Bulla, incipiente: *Sedes Apostolica,* non nisi circa absolutionem ab excommunicatione, & circa procurantes directè vel indirectè abortum nondum animatum, in cæteris tamen reliquisse in suo vigore, tenere omnes testatur Sporer, *in Theolog. Sacram. p. 4. c. 4. f. 2. num. 714.* apud Reiffent. *h. t. num. 19.* eandem Bullam Gregor. verbotenus fusè inducentem. Sic itaque directè vel indirectè per se vel per alium quocunque modo, etiam præstando consilium, auxilium, favorem incurrunt pœnas utroque jure statutas contra homicidas & in specie Jure Ecclesiastico contrahunt irregularitatem, excommunicationem,